









4628.

Dr.

DISPUTATIO  
DE

~~37. 35.~~

23

# JURE PACIS,

Quam

FAVENTE

1652, 4

Deoter Opt. Max.

CONSENTIENTE

*Magnifico & Nobilissimo Jctorum Ordine  
in Illustri LL. nutrice Salana.*

PRÆSIDENTE

VIRO

*Nobilissimo, Consultissimo atque Excellentissimo*

**DN. GEORG-ADAMO**

4i

**Struben / Jcto ac Prof. Publ. famigeratissimo,**

Facultatis Jurid. p.t. Decano, Consiliario Saxonico,

Dicasterii Provincialis & Scabinatus Adessore

gravissimo.

Dn. Patrono, Promotore ac Præceptore suo æviter-  
nùm devenerando.

*Publici exercitii gratia placidè ventilandam*

*proponit*

**CHRISTOPHORUS Erich/**

Isennacensis.

*In Audit. Jctorum*

D. Martii. Horis Consuetis.

JENE

Prelo JOHANNIS NISII

ANNO MDC LII.





DR. JURE PAULI

Doctor Opt. Max.

DR. GIORG-ADAMO

Emilii, Regis Sicil. famigeratissimi

Facultatis Medice, ordinario sacrosanctae

Universitatis, et Regiae Aulicae

Medicinae, et Chirurgiae, et Anatomiae

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario

Professore, et Ordinario







## ΠΡΟΛΟΓΙΟΝ.



Vanquam vel Svadâ repugnante,  
nec Minervâ me invitante hanc de Pace Dispu-  
tationem hac vice non aggrediar: Attamen, si  
illius jucunditatem & svavitatem in animum  
revoco, hujus delinitus mulcimento & illece-  
brâ adductus facilè me persvaderi patior: Quē  
enim fugit thematis hujus, P A C I S scilicet, de qua agere & ali-  
quid in medium jam proferre mihi allubescit, svavitas? Pacis no-  
men (*verissimè dixisti disertissime Romuli nepotum*) dulce est: Res  
v. ipsa cū jucunda, tū salutaris. *Philipp. XIII.* Quā non modò  
ii, quibus Natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari  
videntur. *Id. de L. Agrar.* Quis est, quem non delectet & capiat  
publica ejusdem Utilitas? Ubi Pax est, ibi omnium rerum perfe-  
ctio, & ubi omnia completa & perfecta sunt, ibi etiam omnia  
sunt quieta & pacata. *Ant. Peregr. de Jure fisc. Lib. 7. tom. 2. Cu-  
bach. Jur. Publ. c. XXIV. de Regal.* Bellum repentè semelq; quic-  
quid est lætum, quicquid est pulchrum, obruit, extingvit, abolet:  
Pax autem omnium bonarum rerum & parens est, & tutrix.  
*Erasm. in adag. p. 337.* Pax Nuptias, festa, Cognatos, liberos, ami-  
cos, divitias, sanitatem, annonam, voluptatem confert: Hæc o-  
mnia si deficient, universim vita perit viventium. *Philemon. in  
Pyrrho apud Stob. serm. 53.* Pax βοτρυόδοξος largitrix uvarum.  
*Aristoph. apud Stob. f. 53. βοδύπλοξος opulencia. Eurip. in Cresph.*  
Pax Musis *μεροφιλεσιτη. Eurip. in suppl. vid. Heiderus Polit. c. V.*  
*de B. & P.* SED Sol facibus illustrari non debet *c. si omnia b. q. i.*  
& supervacanei (*suffragante Symmacho*) laboris est, commendare  
conspicua, ut si quis in sole positus facem præferat & accessu lu-  
minum claritudinem diei adjuvare gestiat. *Lib. 3. Epist. 48.* nec  
magnâ etiam, ait Ulpianus, egent commendatione, quorum uti-  
litas ipsa sese ostendit, in *l. i. ff. de in integr. restit.* QUAMOB-  
REM calamo & lucubratione Academicâ non indignum, nec



ab hoc tempore, ubi ineffabili Dei beneficio extinctis ubique armis Pax aurea postliminio rediit, alienum duco, si exercitii & animi gratia pro viribus ingenii de eâ hîc brevia quaedam (PICTORES imitaturus, qui vastissimum aliquem districtum depicturi apices tantum & suprema rerum culmina adumbrant & delineant) proponam & placidæ συζητήσεως subjiciam, nihil interim cuiquam præscripturus. Id quod dum tento, tu ô Deus Charitatis & Concordiæ. *1. Corinib. 14.* & Pacis Autor. *Clem. dudum S. sci. mus de sepulcr.* qui & res penitus desperatas donare & consummare virtutis magnitudine potes *l. 1. S. 2. in fin. C. de V. J. E.*

Huc ades & nostris clemens allabere cœptis,  
ut possit portum tangere nostra ratis.

THES. I.

**P** Rincipio Secundum Scaligeri monitum in Exercitio *356. f. 1.* consideranda venit Origo vocis: PAX igitur, inquit Ulpianus, à pactione dicitur, *l. 1. S. 1. ff. de pact.* Pactione v. desc. ab antiquo verbo pago, præter pepigi, quod olim paco, ut veteres scribebant C. pro G, postea pango, inferto scilicet N. euphónico, i. e. unio, figo, unde germ. *Fügen. Priscian. lib. 10. Wesenb. in w. tit. de pact. n. 2. Scaliger c. 25. de Lingv. Lat.* deducit à παύω, i. e. quiesco. Græci εἰρήνην vocant, ὅρα τὸ εἰς ἐν εἶρεν à connectendo in unum. *Eustath.* Et si simplicius à nudo εἶρω: Sicut πόλεμος ὅρα τὸ πολεῖν, bellum à versando, quod omnia verset sursum deorsumque. Pax enim animos conciliat, unit & conjungit; at bellum eosdem distrahit. German. Friede/putatur quasi feriatu status i. e. tranquillu, à motibus liber: Idque convenit cum παύειν: Aut à Frey/liber; vel Freuen/latari: Pax enim est status libertatis & lætitiæ, in quo omnia salva & integra esse solent, quæ bellum & inimicitia dissolvunt. Ideo Hebr. **שלום** à **שלם** perfectum, integrum esse. Vid. Martinius in Lex. Philolog. in vocab. Pac.

II. Accipitur aliquando vocabulum Pacis pro propitiacione, ut apud Virgil. *l. 4. Æneid.*

----- Pacemque per aras  
Exposcunt.

non.



nonnunquam pro venia, ut apud eundem *Lib. 3. Æneid.*

Sed votis precibusque jubent exposcere Pacem.

Interdum pro Induciis, quas Varro vocat Pacem Castrensem, multorum mensium: tum etiam pro Instrumento Pacis, quando dicimus: quid in manu habes? Et *R. Pacem.* Sæpius pro statu & conditione Reip., qui dicitur status Pacatus, & opponitur statui Bellico. Denique vel magis propriè pro actu aliquo, scil. pro pacatione publica vel compositione pacis, & hæc videtur esse significatio hujus loci.

III. EST autem PAX Conventio publica perpetuò ab armis cessandi inter duos majestate præditos inita. *l. 5. ff. de pact. Brault. Jur. publ. lib. 8. c. 6. de pr. & exit. Bell.* Pacem enim Belli finem esse prudentes judicant: Unde Aristoteles: Propterea, *inquit*, bellum geritur, ut in Pace iterum vivatur. *10. Eth. c. 7. & 7. Polit. 15.* Ubi autem notandum est, quod finis à Philosophis statuatur duplex, ut habet Svaretz *Disp. Met. 23. sect. 1. n. 4.* Unus terminationis, isque iterum duplex (1.) Positivus, ut punctum respectu lineæ, (2.) privativus, sicut mors finis vitæ. Alter finis motionis, quem Svaretz vocat finem in ratione Principii consideratum; Illum autem, qui finis terminationis nobis dicitur, vocat finem in ratione termini consideratum. Cum Pax belli finis dicitur non tantum intelligi potest finis motionis, qui belligerantes ad bellum suscipiendum movet, ut mediante eo Pax reducatur, sed etiam finis terminationis, cum Pax sit belli extremum, in eamque bellum tandem desinat.

IV. DIVIDITUR in Justam & Injustam: **Justa** Pax est, quæ à personis legitimis, in intentione & modo legitimo; **Injusta** autem, quæ à personis non-legitimis, vel intentione & modo non-legitimo pangitur. Porro in temporalem & perpetuam: **Pacem temporalem** nuncupamus inducias, quæ definitore Jcto, sunt conventio publica inter mutuos hostes de usu armorum pro tempore intermittendo *l. 19. §. 1. ff. de capt. & postlim. revers.* Scitè Varroni belli feriæ definiuntur. Et tempus induciarum bello esse annumerandum scribunt *Bald. in §. sententia quoq. de pac. constant. Boer. dec. 40.* Pax verò in specie sic dicta perpetua est, ut supra in thes. IV. quæ omne bellum tandem desinit, & quæ ex veteri formula, cum cælo ac terra duratura sancitur.



V. PACEM FACERE non est, nisi ejus, qui Jura habet  
Majestatis. Aristotel. *4. Polit. 14. & 7. Polit. 15.* In Regno proin-  
de est potestas illa penes Regem, modò is Rex etiam jus non ha-  
beat impeditum e. g. si Rex sit infans aut furiosus Pacem facere  
non potest, tunc enim ea potestas est quidem penes illum in actu  
primo, exercitium verò illius potestatis erit penes eos, qui isto  
tempore ipsius curam gerunt. Confer. Grotius *lib. 3. c. 20. d. 1. B.*  
*& P. Dn. Cellarius in Polit. c. XII. de pac.* In Aristocratiâ penes  
optimates indivisim; In Politia penes populum. Olim ante L. Re-  
giam populus Rom. hanc bellandi & pacificandi potestatem ha-  
buit. *d. l. 24. ff. de capt. & post. rev. Novell. 105. in pr.* Rectè itaque  
Agefilaus, cum in Lydiâ Syfaphernem vertisset in fugam, Rege  
Persarum per legatos ingentem vim pecuniarum ultrò ad illum  
mittente ac petente, ut à bello desisteret: Respondit: *τῆς μὲν εὐ-  
φωίας, τῆς δὲ πάλιν εἶναι κυρίας.* Xenophon in Agefil. Quibus ver-  
bis Regis postulata ad Rempubl. tanquam belli pacisq; arbitrum  
rejecit. Et benè Posthumius ille: Sponsione, inquit, quæ injussu  
populi Romani facta est, non teneri populum Romanum, ut est  
apud Livium *l. 9. c. 4. Tacit. 15. Annal.* Sed quia postmodum L.  
Regiâ populus Principi & in Principem omne suum imperium &  
potestatem concessit §. 6. *Instit. de I. N. G. & C.* Cœpit jus illud  
soli principi competere. Unde L. Julia Majestatis eum tenet, qui  
injussu principis bellum gerit *L. 3. ad L. Jul. Maj. Vid. Clapm. de ar-  
can. Rerump. lib. 1. c. 20.* Magnif. Dn. D. Richter/Antecessor hîc me-  
ritissimus, Patronus meus per trienn. domesticus faventissimus &  
æternùm venerandus in *Expos. Auth. C. ne Filius pro patre. Diss. IV.*  
Hodiè in Imperio Romano hæc pacis universalis pangendæ po-  
testas est penes Imperatorem, Electores & status Imperii: Ex Ca-  
pite enim & membris imperium nostrum constat, & est Aristo-  
craticè mixtum, ait *Thuan. in princ. Histor.* Connexa siquidem  
sunt hæc duo belligerandi & pacem pangendi jura, ut habet Arist.  
*4. Polit. 14.* Licet autem non inseparabiliter connexa putaveri-  
mus; In dubio tamen penes quæ belli decernendi est potestas, pa-  
cis etiam pangendæ jus esse præsumitur. Idque dispallescit etiam  
ex Capitulat. Ferdin. III. *art. 2.* & ex Instrumento Pacis *art. 8.* ubi  
expressè dicitur, quod status habeant potestatem votandi, in *vers.*  
Wenn



Wenn Frieden gemacht wird/etc. Vid. Magnif. Dn. D. Carpzov. in *Disc. de Regal.* Excellentiss. Dn. D. Thom. Patronus (& Præceptor olim) summè venerandus in *Not. ad Lampad. cap. XIX. de jur. armor.* & Nobiliss. Dn. Conring. *ibid.*

VI. Movetur hîc quæstio: An Duces Belli exercitusvè pro arbitrio cum hoste pacem possint constituere? Nos Negantium partes sequimur, scilicet, ne Principes & populos legibus sæpè iniquissimis obstringant, in tantum, ut etiam levissima quæq; in eo genere injussu principis fieri propè sit capitale, si is admoneri potuit: Sicuti nec procuratori à privato quopiam constituto liberum est, ut vel de re minima transigat injussus *l. 5. l. 46. l. 51. ff. mandati l. 48. & seqq. ff. de Procurator. l. 28. §. ult. ff. de pact.* Iniquissimum enim est, alterius pactis alterum obligari invitum *l. 1. in pr. de alien. jud. l. quo tutela 73. ff. de R. I. junctâ l. seqv. tum quia sola Majestas bellum & pacem facit. Nimmerus de Regal. 0.6. lit. D.* Bello igitur gerendo non omittendo Dux est præpositus. Et hanc ob causam Posthumium Romani Samnitibus, Corsis Clodium, Numantinis Hostilium dederunt. *Livius d. lib. 9.* Et rectè Manius inducias tantum Ætolis dedit, spatiumque mittendi Romanam legatos, & tolerabilem pacis conditionem petendi. *Plutarch. in Quind.* Quod enim Treugas sive Inducias (quæ sunt cum in breve & in præsens tempus convenit, ne invicem se laceasant per *d. l. 19. de capt. Conf. supra th. V.*) pangere possint, nullus facile negabit: Nam nec pacem constituunt, nec bellum tollunt. Vid. *Fr. Ros. Diss. Inaug. de I. P. tb. 54. Grotius d. I. P. & P. L. 3. c. 22. n. 7. & seqq. N. Koch. in Diss. de Regal. dign. apud Dn. Arum. J. P. vol. 3. Elias Schröder. d. Diss. Inaug. de Jur. Bell. tb. 8. apud Arum. vol. 1. Arnol. Vinn. tr. d. pact. c. 2. n. 4. & seqq. Petr. Gudelin. comm. de jur. pac. c. 2.*

VII. Cum autem, asserente Tullio, omnes naturâ trahamur ad utilitatem, nemoque sit, qui utilia lubens effugiat, aut potius ea non studiosissimè persequatur, *Lib. 3. Offic.* Illi igitur, penes quos hæc potestas est, tanto proniores ad pacem amplectendâ esse decet, quanto illa præ bello plus secum adfert commoda: Ipsum enim actum Pacificationis pacatus etiam status è vestigio subsequitur, ut venustè **Erasmus** vir Pacis & Ecclesiasticæ & Civilis aman-

tissimi



\**Honst. lib.*  
*4. Carm.*  
*Od. 5.*

tissimus, ut *Grotius illum appellat in prof. tr. de J. B. & P.* Pacis tempore, scribit, non secus, ac si novum quoddam ver rebus humanis adfulserit; Coluntur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur & augentur extructa, crescunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret Reipl. disciplina, fervet Religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, uberior est questus pauperum, splendidior opulentia divitum, efflorescunt honestissimarum disciplinarum studia, eruditur juvenus, tranquillo fruuntur ocio Senes, bonis auspiciis nubunt virgines, laudantur simili prole puerperæ\*; florent boni, minus peccant mali. At simulatq; belli fæva tempestas ingruerit, Deum immortalem, quàm ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit universa! abiguntur armenta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot seculis extructæ florentissimæ civitates unâ procellâ subvertuntur; Mærent domus, metu, luctu, querimoniis & lamentis complentur omnia; Frigent artes opificum; pauperibus aut jejunandum, aut ad impias artes confugiendum; Divites aut creptas deplorant facultates aut timent relictis, utroque modo miserrimi; Virginum aut nullæ aut tristes aut funestæ nuptiæ; desolatæ matronæ domi sterilescunt; silent leges, ridetur humanitas, nullum habet locum æquitas, Religio ludibrio est, sacri & prophani nullum omninò discrimen, corrumpitur omni vitiorum genere juvenus, damnant longævitatem suam luctuosi senes; nullus honos honestis literarum studiis & Musæ præpeditæ clamoribus ferventiùs excoli nequeunt. *In adag. in explicat. proverb. Dulce bellum inexp.* Et verè etiam *Gailius in tract. de par. publ.* In Pace, inquit, omnia pulcherrimè florent atq; incrementum accipiunt; imò quemadmodum terra, quando Sol supra Horizontem est, sine luce & calore esse nequit: Ita nec mundus sine felicitate esse potest, ubi sidus pacis aureum est exortum. Econtrario autem non solùm belli adventus, sed metus ipse affert calamitatem: Nam cùm hostium copiæ non longè adsunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio quiescit. *Cicer. pro L. Manil.* Unde Veteres non malè pacem pinxerunt foeminam nitido vultu, aspectu pulchram, oleagina corollâ redimitam, lævâ Amal-



Amaltheæ cornu omnium fructuum genere redundantem & dextrâ Plutum puerum tenentem, claro symbolo, quod non è bello, sed beneficio Pacis opes crescant & adaugeantur. *Hadr. Junius in Emblem. VI. p. 75.* Rectius itaque Princeps potestatis suæ esse existimat:

*Consulere Patriæ, parcere Civibus, ferâ*

*Cede abstinere, tempus atq; ira dare.*

*Orbi quietem, seculo Pacem suo.*

*Hac summa virtus, petitur hac cælum vid.*

*Seneca*

*Octav.*

Vid. Magnif. Dn. D. *Frantzk.* Patronus meus æterno observantiæ cultu prosequendus in *Disc. de potest. princ.* Id quod probè etiam considerarunt & fecerunt Imperatores laudatissimi, qui pacem, magis, quàm bellum quæsierunt; Utpote Augustus felix & magnus ille Imperator ubique pulchrum hoc habet elogium, quod pacem, quantum quidem fieri potuerat, sanctissimè coluerit, prælium aut bellum suscipiendum omninò negarit, nisi justis & necessariis de causis: Jactantis enim ingenii & levissimi esse dixit, ardore triumphandi & ob lauream coronam, id est, folia infructuosa in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem Civium præcipitare. *Sveton. in ejus vit. Lib. 5. c. 5.* Ita magis Imperatorium putat *Cesar L. 1. de bell. Civil.* consilio protegere suos, quàm gladio ambiguos belli eventus periclitari; Vid. *Lampad. d. l. c. 19. de jur. arm. n. 2.* Quo etiam nomine Alphonfus Aragoniæ Rex laudatur, qui cùm aliquando à Nicolao V. Pontifice Maximo de Pace cùm Francisco Sfortia Florentinis & Venetis constituenda per Legatos moneretur, responsum hoc gravissimum reddidit: Nunquam mihi adeò secundæ res aut domi aut foris fuère, quin si cum Bello Pacem commutare licuerit, Bello pacem prætulerim, nec me tam ratio ulla Imperii aut Regni augendi movit, quàm meæ ac populorum quietis ac tranquillitatis, qui nostro Imperio parent, cum in Bello pacem, non in pace bellum quærere soleam, ut refert *Thom. Lansf. in Disc. de L. Reg. th. 130. Ex Barth. Facio Lib. 10. Histor.* Vid. *N. Koch. apud Arum d. l.* Atq; hinc Venetorum (utpote quibus curæ est Repl. conservare) famam meritò tuetur *Kirchner de Repl. Diss. f. th. 2.* adversus Bodinum, qui eos reprehendit ac bestiis imbellibus, columbis & lep-

B

ribus



ribus confert, quod bellorum omnes causas studiosissimè decli-  
nent, quod illata difficilimè suspiciant, susceptam verò finire ac  
Pacem omnibus modis inire conentur. *Lib. 6. de Repl. n. 569.* Vid.  
*Magnif. Dn. Carpe. in d. Disc. de L. Regiac. 5. de jur. bell.* Contra  
haud immeritò reprehensionis notam incurrunt illi, quos avari-  
tiæ & ambitionis fervor ad cædes nefarias vocat & irritat, quo  
nomine notatur Ninus à *Justino Lib. 1.* M. Antonius, quem ambi-  
tio contra Octavium. *Flor. lib. 4. c. 4.* Mithridates, quem con-  
trà parentem; *Val. Max. lib. 9. c. 11.* Crassus, quem contra Bar-  
thos, Cyrus, quem in Massagetas, Xerxes, quem in Græcos, An-  
nibal, quem in Romanos, Alexander, quem adversus totum or-  
bem armavit, quod rectè exprobrarunt eidem Scythæ, dicentes:  
Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent,  
orbis te non caperet, alterâ manu orientem, alterâ occidentem  
contingeres. *Curt. lib. 9.* Et quis non videt despuisse Ætolos &  
Arcades, qui mutuis bellis ob unius apri caput se invicem attri-  
verunt: Carthaginenses & Byzantinos, qui ob Myoparonem: Pi-  
etos & Scotos, qui ob ereptos canes acerrimè decertarunt invi-  
cem, & exempla inusitata crudelitatis ediderunt. Vid. *Bodin. lib.*  
*4. de Repl. c. 1. Heiderus Polit. d. l. Elias Schröder apud. Arum. d. l.*

IX. Insuper Pax etiam æquè utilis est, tam quibus salus,  
quàm quibus gloria charissima est. *Tacitus lib. XV. annal.* Victis  
dico, & victoribus: VICTIS: Noverit enim pars aliquantum vi-  
cta Necessitati (quam ne Dii superant, ut Livius ait *Lib. 9.*) quàm  
tempestivè parendum; laude dignum, non turpe submittere se  
sublimiori: Sublimior autem, qui potentior, non olim, sed hoc  
præsertim tempore. Cautè Athenienses, qui cum ad extrema per-  
ventū, Pacis foedus in pullâ veste percutere non erubescabant: Te-  
nenda enim fidis manibus occasio; quàm multi pacem ante repu-  
diatam, posthac vexillis penitus submissis anxie & miserè fugi-  
entem insequi coacti! Periculosum equidem est longum  
cum valentiore certamen, & ut in navi fit, jacturâ aliquâ redi-  
menda est major calamitas, omisâ irâ ac spe fallacibus, *ut nervo-  
sè Livius dixit, autoribus Lib. VII.* Sæpius Pacis studio & amore  
Patriæ dignitas submittenda, gloria utilitati postponenda. Ne-  
que enim gloria, sed **salus suprema semper Reipl. lex est.**

Lips.



*Lips. d. l. Grotius in laudato tract. de J. B. & P. lib. 3. c. ult.* VICTO-  
RIBUS: quia bonis suis rebus, *ut idem Livius rectè asserit*, ampla  
& speciosa dantibus, pax est. *Lib. 30.* Cogitandus quoque Mars  
communis, qui sæpè spoliantem jam & exultantem evertit & per-  
culit ab objecto. *Cic. pro Mil.* Et ut Aristoteles habet: *διεξιπτόν*  
*ταὶς μετὰβολαῖς ταῖς ἐν πολέμῳ, ὡς πολλαὶ καὶ τῶν ἀλόγοι γίνονται.*  
Cogitandum in bello, quàm multæ, quàmque improvisæ muta-  
tiones accidere soleant. Nam ea belli plerunque est natura, ut  
qui primùm usi sunt fortunâ secundâ, adversam tandem experi-  
antur. *Id. Lib. Rhetor. ad Alex. c. 3.* In ipso itaque bello Paci stu-  
dendum, nec expectandum, donec atrati eandem petere cogamur:  
nusquam enim minus, quàm in bello eventus respondet.  
*Cic. pro M. Marc. Quicciard. Lib. 1.* Prætereà maximè metuen-  
da est desperantium audacia, Cùm hostes sæpiùs impugnati & re-  
pugnare coacti pariter evadant bellicosi, pariter virtuosì: Sæpè  
enim præstat desperatio, quod nequit virtus. Unde & morsus be-  
stiarum morientium sunt acerrimi & maximè letales. *Flor. lib. 1.*  
*c. 15.* Gravissimè igitur dixisti Seneca *Herc. Fur.*

Pacem reduci velle victori expedit,  
Victo necesse est.

**X.** Porro in Pacificatione duo consideranda (1.) Personæ  
intervenientes, (2.) requisita Pacis. Personæ intervenientes Pa-  
cem tractant vel tractatam confirmant. Tractatio pacis pruden-  
tibus atque fidis hominibus est committenda: Cum enim consul-  
tum non sit, illos ipsos, penes quos potestas de Pace pangenda re-  
sidet, convenire dequè pace tractare, cum horum congressus hîc  
certè periculosus: Vix enim sine æmulatione, invidia, aut indi-  
gnatione disceditur, id quod septem confirmat exemplis *Ph.*  
*Comm. L. 2. c. 8.* Veteribus plerisq; solenne erat, mittere Oratores:  
Ac sanè vix aliter tutò transigitur, nisi hæc pacis transactio com-  
mittatur viris prudentibus & perspicacibus, qui dolos olfaciant,  
ac quod caput est, Pacis sint cupidissimi. Hinc videmus exerci-  
tium potestatis hujus, puta pacificationem, hodiè plerunque et-  
iam demandari Consiliariis & Legatis, viris disertis & prudenti-  
bus. *Bodin. lib. 5. de Repl. c. 6. Schonb. Polit. lib. 6. c. 38. de Pacific.*  
Personæ pacem seu inducias tractatas cõfirmantes sunt **obsides,**  
qui



qui olim vel invicem dati sunt, vel à solo inferiori & accepti à superioris, idè scilicet, ut tantò securior & certior Pax sit vel inducia. De quibus vide latius tractantem *Grotium d. lib. 3. c. 20. n. 52. & seqq. Schonb. d. l. c. 39 de Obsid. ejusdemq; Commentator. Wendelin. in Instit. Pol. l. 2. c. 45. tb. 15.*

**XI.** **Requisita** Pacis tria sunt, nempe, ut sit tempestiva, honesta, & simplex: **Tempestiva** Pax est, quæ fit sub Clypeo h. e. à Parte utraque adhuc armata neutraque victa: Id enim, *auctore Casare*, optimum tempus de pace agendi, dum sibi uterq; confidit & pares ambo videntur. *lib. 1. Bell. Civil.* Pax autem post victoriam & partis alterius oppressionem plerunque calamitosa & misera est, adeoque minimè tempestiva: De Pace igitur in tempore cogitandum est, tum quia belli eventus dubius est & anceps Martis alea, quæ contra opinionem & spem sæpissimè cadit. *Cic. Philip. 10.* Ut ita Pax honesta & certa omnibus modis præferenda sit incertæ victoriæ, & ut *Silius Ital. bell. Pun. lib. 11.*

----- Pax una triumphis

Innumeris potior:

Tum quia pacis sub clypeo factæ conditiones sunt plerunque æquiores. **Honestam**, cum *Livio* intelligimus, cum aliquâ tolerabili conditione finies bellum. *Lib. 25.* ut verè pax ea sit, non pactio servitutis. *Cicer. Philip. 12.* Extremum enim omnium malorum servitus, cujus major metus, quam mortis esse solet, maximè **animo generoso**, qui cum dignitate potius moriendum, quam cum ignominia serviendum semper melius esse judicat. Idem *Philip. 2.* Imò nec tuta aut diuturna Pax est inhonesta, dura & contumeliosa: Eo enim in loco, ubi servitatem esse velis, fides speranda non est. *Liv. lib. 8.* Privernas in Senatu Romano interrogatus: Qualem à Romanis pacem expectarent? Respondit: Si æquam dederitis, & fidam & perpetuam: Si malam, haud diuturnam. *Id. lib. 8. (3.)* **Simplicem** i. e. puram, niveam & verè pacem, quæ nihil fuci, nihil fraudis aut insidiarum habet. Pax enim est repudianda, si sub ejus nomine latitet bellum. *Tacit. 4. Histor.* Videndum igitur diligenter in pace facienda, quos animos adferant, qui in gratiam positus inimicitiis redire cogitant. *Polyb. lib. 3.* Frequentius enim conventionum

pa-



pacisq̄ue simulatio credulis, quàm arma nocuerunt. *Veget. lib. 3. c. 3.* Et nunquam ostentata ab Hoste olea adeò placere debet, ut non caveat sibi seriò ac timeat sub arridentibus illis foliis latere, sæpè serpentem. *Zevencot in Obs. Polit. ad Flor. lib. 2. c. 15. Lips. in Pol. Lib. 5. c. 19. & 20. Schonb. d. Lib. 6. c. 38. Wendel. in Comm. d. l. Cellar. d. c. 13. th. 4.*

XII. Pax autem inita rursus rumpitur (1.) quando pars una violat pacis condiciones expressas faciendo vel contra id, quod in pace dictum est, aut non faciendo, quod facere oporteat (2.) quando pars una facit contra id, quod omni paci inest, ut si vel toti civitatis corpori vel alicui ejus parti vis armata infertur citra datam belli causam novam. *Grot. d. J. B. & B. L. 53. c. 20. n. 32. & seqq.*

XIII. Qualibuscunque verò legibus Pax facta, servanda omninò, solliciteq̄ue cavenda non tantùm perfidia, sed & quicquid animos exasperare potest: Nam, quod de privatis amicitiiis dixit *Cicero*, ad has publicas non minus rectè nos aptamus, cum omnes summâ religione ac fide tuendas, tum eas maximè, quæ ex inimicitiiis revocatæ sunt in gratiam. *Grotius d. l. c. ult. §. 7.* Obligantur quoque successores in Regno Pacem à prædecessoribus initam servare. Vid. *Gudelin. d. tract. c. 12.* Hæc & similia, si propositi mei immemor essem, hîc uberiùs tractare & exempla etiam ex Historicis adducere possem, quàm funesti nimirum & tragici perfidiæ & perjurii plerunque fuerint exitus, sed ut dixi, malo Laconicæ studere brevitati & apiculas imitari, quæ non omnes in prato herbas depascunt, sed ex quibusdam duntaxat, quod conveniens est, exsugunt. Quod reliquum est, faxit supremus ille Pacis arbiter, Deus ter Opt. Max. ut post tot bellimala, quæ Germania Patria nostra dulcissima per 30. annos, & quod excurrit, experta est, tranquillus, serenusq̄ue beatæ Pacis status magis magisq̄; efflorescat & longos in annos sartus tectusq̄; conservetur; ut etiam, quod belli calamitas introduxit, hoc **Pacis** lenitas sopiat, & ut **S. Imperator** cum omnibus Imperii Ordinibus ac Statibus, & Status cum subditis pristino dissensionis affectu exploso in secura tranquillitate vitam piam, sobriam, justamque peragere possint; ut **Concordia** in Imperio nostro Ro-



mano-Germ. alatur & promoveatur, cum magna laus, major utilitas, maxima verò ejusdem dignitas esse perhibeatur, si illud in Còcordia & quiete còsistat. *arg. S. quomodo in Les. Maj. crim. proc. in extrvag. Constit. Henr. VII.* Et ut **Charitas** ferventiùs inter nos exerceatur, cum Christiani simus, quorum disciplina in omnibus hominibus diligendis præcipuè consistit, & quibus Pacem suam Dominus legavit, cujus optimus interpretes nos vult bellum cum vitiis gerere, pacem verò, quantum fieri potest, quantum in nobis situm est, cum omnibus quærere. *Roman. XII. v. 18.* Tantum! hîc Terminus esto!

**Soli Deo gloria.**

Imperio Salus & tranquillitas Sempiterna.  
Erratis venia.

---

**COROLLARIA JURIDICA.**

I.

**M**Anumissiones in fraudem Creditorum factæ intuitu ipsorum Creditorum ipso Jure non valent, adeoque nec revocatione, annullatione aut rescissione indigent.

2. Rectè IMP. in §. 1. *Inst. de P. P.* Nuptias per individam vitæ consuetudinem definivit.

3. Jus Patriæ potestatis, prout illud Imp. consideravit, est Juris Civilis.

4. Consensus parentum in Nuptiis liberorum in potestate eorundem constitutorum de Jure Civili omninò requiritur.

5. Nulla sponsalia propriè sunt de præsentì, quamvis distinctio sponsaliorum Canonica in ea, quæ de præsentì & de futuro sunt, suo modo subsistere queat.

6. Licet de Jure Civili dotalia Instrumenta ad legitimationem per subsequ. matrim. necessariò requirantur, hodiè tamen nostris moribus, ubi matrimonia publicè præ-

præ-



præviâ trinâ vel binâ pro cuiusq; loci receptâ consuetu-  
dine è suggestu proclamatione & benedictione postmo-  
dum sacerdotali in conspectu Ecclesiæ interveniente ce-  
lebrentur, secus esse & citra eorundem interventum eam  
procedere posse autumo.

7. Non tamen illa *ιεργλογία*, quam Jus Canon. primi-  
tüs induxit, ita afficit matrimonium, ut substantiam ejus  
ingrediatur, adeoque eâ omisâ deficiat, & liberi pro ille-  
gitimis reputentur.

8. Servus sine Domino non consistit.

9. Scripturam externam non esse de substantia legis o-  
ptimè ni fallor deduci potest *ex §. singular. 12. in fin. Insti-  
de R. D.*

10. Uti nec injuria in extremè ebrium cadit, ita quoque  
Injuriarum actione conveniri non potest.

11. Punitorum, ut & suspensorum & aliorum  
cadavera Medicis ad Anatomiam rectè conceduntur.

12. Tabellarius furtum committit, quando pecuniam  
transferendam sibi commissam in usus suos convertit.

*Humanissimo atq; Literatissimo Dn. Respondenti, Inquilino  
& amico meo singulariter dilecto.*

**N**on dubito, liti quin sit contraria virtus  
*Pax*, quâ finitur flebile Martis opus.

Hinc miror, pacis quod jura quieta laceffis,  
Et qui pacis amans, prælia tanta moves.

*Propositum laudo*, casus quod ritè recenses  
Belli evadendi, & fœdera tuta probas.

*Benevolentia & honoris causâ f.*

Christoph. Philip Richter/D.

Com. P. C. Prof. P. & Fac. Jur.

Senior.

*Pro.*



35  
**P**raelia docta moves Pacis de Jure: sit orbi  
*Pax: hac propugnata sit Tibi laus & honor.*  
Ita eruditè-docto Dn. Resp. vovet  
P R A E S E S.

**B**ella moves, pacis dum propugnare laboras  
*Jura, sed, ut vincas, bella secunda moves.*  
*Ita Eximio Dn. Conterraneo gratul.*

**M. Severus Christophorus Olpius, Ienn.**  
Sanctæ Theol. Studiosus.

**D**u kömst zum andernmal durch Schrifften an das Licht/  
Wol dir und mehr als wol! Ein rechter Musen-Sohn/  
Gibt seine Kunst herfür/und nimt den Ruhm zu Lohn/  
Den Jhm die Nach-Welt gibt. Wol dir du stirbest nicht.  
Seinem vielgeliebten Freunde schrieb dieses  
**Wolff Friederich von Drachenfels/**  
Nobil. Thur.

**I**hr edles teutsches Volk/ Ihr habet müssen sieden  
In heisser Krieges-glut. Nun gibt euch Gott den Frieden.  
Werfft Schwerdt und Nachgier weg/ un macht euch selbst  
nicht wund.

**Was vor ein Schatz der Fried. Thut mein Herr  
Erich kundt.**

Dieses wenig schriebe aus wolgeneigtem Gemüthe /gegen dem  
Herrn Respondenten/und Autoren dieser Disputation  
**Samuel Lütke mann/**  
aus Danzig.

**I**ndem du werther Freund die Schrift vom Frieden sehest/  
So gibstu dein Gemüth und deine Kunst an Tag.  
Wolan/es muß hinfort die ungeschäkte Plag/  
In der du deinen Sinn/du toller Mars ergehest/  
Dir nie zu Schaden gehn. O Himmel stimme bey!  
Vnd gib/das Fried und Kunst in steter Bündniß sey.  
Wolmeynend sezte dieses seinem  
geehrten Freunde

**Joachimus Bartholomæus Meier.**

F I N I S.











ULB Halle

3

002 392 003



TA → OL

VD 17











TIO

~~37. 33.~~

23

ACIS,

1652, 4

Max.

ANTE  
Fectorum Ordine  
Salana.

que Excellentissimo

ADAMO

40

abl. famigeratissimo,  
Consiliario Saxonico,  
binatus Adfessore

receptore suo æviter-  
ndo.

idè ventilandam

RUS Erich/

orum  
s Consvetis.

IS NISII  
C LII.